

De contractibus celebrandis cum presentia duorum Notariorum.

C A P. L.

Item statuimus, & ordinamus, quod in quibuslibet contractibus celebrandis, & fiendis, seu percelebrabuntur, & fieri contigerint in Terra Montis Sancti, & ejus territorio à xxv. libr. supra, seu de re valente ultra xxv. libr. denar. debeant interesse duo Notarii, quorum unus scribat, & alter subscribat, pœna cuiuslibet contrahienti Notario C. solid. denar. cuius pœnæ medietas sit communis Monti Sancti quarta accusatoris, & alia quarta matriculæ Notariorum, ut prædicta faciant observari. Et possint à quolibet accusari, & habeat dictam quartam partem. Addicentes huic Statuto, quod quilibet ipsorum Notariorum, tam sribentis, quam subscribentis ipsorum supervivens mortui, possit, & valeat, ac etiam teneatur contractum publicare, & publicatio subscribere debentis valeat mortuo debente scribere, & publicatio debentis scribere pleno jure, & effectum sortiatur, & quilibet Notarius rogatus de contractibus prædictis cum subscriptione Notarii debentis subscribere, teneatur, & debeat cuiuslibet partium contrahentium petenti dictare copiam substantialium suis expensis, pœna prædicta; & Potestas, & Officiales dictæ Terræ cogant, & cogere possint, & teneantur defacto prædictos ad prædicta faciendum ad petitionem petentis, pœna x. libr. denar. de suo salario.

F I N I S.



Ericulum ibi cautius est agendum. Ideoque statuimus, & ordinamus, quod citationes in criminalibus hoc ordine fiant videlicet, quod accusatus, seu inquisitus primo citetur ex speciali commissione, cum cedula portanda per bajulum Comunis Montis Sancti causam, & tenurem processus formati super quo proceditur continente, & terminum eidem trium dierum proxime venturorum ad comparendū, & se excusandū, & defendendū ab accusatione, sive inquisitione, & contentis in qualibet ipsarum contra ipsum facta, formata, vel instituta; quam cedulam bajulus ei, contra quem proceditur, assignet, & dimittat; si accusatum, seu inquisitum non invenerit, saltim tunc in ostio domus, sive habitationis ponat, & infigat, & dimittat, præsente uno teste bonæ famæ: de qua citatione sic facta stetur, & credatur relationi bajuli, cui fuerit facta commissio cum prædicto teste bonæ famæ cuius testis nomen referatur per bajulum, & talis commissio, cedula, citatio, & relatio statim, & diligenter per Notarium maleficiorum redigatur in actis. Et si in dicto termino persona sic citata non comparuerit, tunc transfacto dicto termino procedatur ad banni dationem quandocumque absque notificatione, vel requisitione, quod bannum mandato Potestatis, sive Vicarii detur per Præconem, sonno tubæ præmisso alta voce, & detur publice in scalis Palatii Comunis residentiæ Potestatis, sive ejus Judicis. In quo banno dicatur, quod Potestas, seu Judex fecit eum exbandiri, propter illam contumaciam, et delictum, super quo primo fuerit citatus: quod delictum exprimatur in datione banni. Quod bannum detur in certa quantitate pecuniæ, prout dicto Potestati, vel Judici videbitur, vel etiam in persona, secundum qualitatem delicti, de quo contra eum proceditur, et in dicto banno assignetur ei terminus quinque dierum à die dati banni ad comparendum, et excusandum, et defendendum, et si infra terminum banni non comparuerit, et se non excusaverit, ex tunc habeatur pro confesso, et convicto, et testibus superato, et vere contumace, et possit diffinitive condemnari, non obstante aliqua notificatione banni, vel citatione non facta. Salvo tamen, quod si

sic citatus comparuerit usque summam idest usque ad prolationem sententiae, et voluerit se excusare, confitendo dictum maleficium, de quo proceditur contra eum, tunc per Potestatem, sive Vicarium ejus, vel Judicem debeat audiri, non obstante, quod terminus banni fuerit jam elapsus, aliter si non confiteretur dictum maleficium nullo modo audiatur, sed procedatur ad condemnationem tamquam contra contumacem; et quæ dicta sunt, locum habeant in terrigenis, et in habitantibus Terræ Montis Sancti. Aliis vero hoc ordine ad citatione procedatur, ut primo ciratio fiat per bajulum ex speciali commissione Potestatis, vel Judicis, et redigatur in actis, ut supra in hospitium, sive locum, in quo consueverit hospitari, sive morari talis reus in Terra prædicta, et ejus districtu, ut infra tertiam diem compareat ad se excusandum de his de quibus proceditur contra eum; transacto dicto termino, si non comparuerit, detur bannum, ut supra. Ubi autem locus, sive hospitium, in quo morari consueverit, nesciatur, tunc citetur per bajulum in scalis Comunis alta voce, exprimendo dictum maleficium cum qualitatibus suis, et talis citatio redigatur in actis ut supra. Qui si non comparuerit infra terminum prædictum, detur sibi bannum, ut supra præmittitur in terrigenis, et si contumax fuerit, tunc ad diffinitivam sententiam procedatur. Salvo quod si ante sententiam comparuerit, tunc penitus audiatur, confitendo tamen maleficium, de quo inquiritur contra eum, ut supra in terrigenis dictum est. Et quod talis persona non sit terrigena, nec habitatrix, ut dictum est stetur, et credatur relatu bajuli Comunis, qui dictam primam citationem fecerit. Citationes autem hæ dictis modis factæ valeant, sufficiant, et sortiantur effectum, aliter vero factæ non valeant, nec teneant ullo modo. Talibus autem competentibus supradictis, et confitentibus ante sententiam, beneficium confessionis, et eorum pacis cuiilibet admittatur. Item volumus, et ordinamus, quod Potestas, sive Judex teneantur, et debeant dari facere copiam inquisitionis, sive accusationis, infra quintam diem à die formati processus, Dominis Prioribus, vel Officiali ad hunc actum per Comune deputato vinculo juramenti, et pœna x. libr. den. de suo salario auferenda.

*De accusationibus, inquisitionibus, denunciationibus,
& eorum processibus.*

C A P. II.

DE omni maleficio commisso, vel delicto per nostrum regimen procedi possit, et debeat ad petitionem petentis cuius per accusationem, vel denunciationem, necnon ex suo motu, et mero officio per inquisitionem, et electa una via possit nihilominus rediri ad alteram, et etiam denunciatione, vel accusatione prædicta possit simul, et in eodem, seu ex eodem processu per inquisitionem procedi, et etiam sententiari cum utcumque officium tendat ad cognitionem delicti, et punitionem, dum tamen, semel, et una pœna puniatur, et non ultra. Salvo tamen quod per inquisitionem ex officio, sive accusationem in scriptis porrectam per patrem, sacerdotem, mulieris, vel per maritum, aut per fratrem carnalem, mulieris, vel mariti super, vel de adulterio, et fornicatione, quod diceretur commissum cum muliere, non poslit procedi, sed per accusationem tantum, ut dictum est. Item de verbis injuriosis, vel sola mentione animi irati per inquisitionem ex officio, sive accusatore, vel denunciatore, procedi nullatenus possit, nisi quando talia verba, vel motio in eadem rissa cum aliis offenditionibus intervenerint, vel commissa fuerint, vel nisi talia coram regimine commissa forent. In quibus casibus etiam per inquisitionem procedi possit. Huic sanctioni addicimus, quod processus quacumque via procedendi super quocumque maleficio, vel delicto factus, vel formatus, vel impostorum fiendus, et formandus in curia, vel foro nostri Comunis, vel per nostrum regimen, valeat, et tencat, et plenum fortifiatur effectum, non obstantibus substantialibus, vel solemnitatibus juris omissis, nec forma aliqua prætermissa, dum tamen de delicto, seu maleficio semper constet plena, et legitima probatio. Addicimus etiam, quod Potestas, seu Judex ad petitionem cuiuslibet, necnon ex mero ejus officio mox, et eadem die, qua sciverit ei relatum, vel delatum fuerit, aliquod maleficium, vel delictum fore commissum per aliquem, vel aliquos, teneatur, et debeat se informare de qualitate ipsius delicti, et super eo processum

cessum formare eadem die , et sequenti die committere citationem ; et relationem fieri facere , ita quod sic appareat in actis . Et nihi lominus sequentibus diebus iterato ad citationem si opus esset , et ad alios actus opportunos procedat sub vinculo juramenti , et pena xxv. libr. denar. de suo salario .

De excusationibus reorum .

C A P. III.

C Uilibet excusationi fiendæ in nostro foro super delictis , et maleficiis , quorum condemnatio , vel pœna excederet , vel excessura esset quantitatem C. solid. denar. , in qua excusatione reus confiteretur maleficium , vel delictum , debeant interesse præsentes , et audientes Confalonierius , et Priors nostri populi , vel saltim duo ex eis , alioquin confessio fori non valeat , nec ex ea possit condemnatio sequi . Ubi vero minor pœna imponenda veniret , vel imposta foret , vel reus se excusando negaret , seu negaverit , tunc excusatio valeat , & sit firma , etiam sine præsentia prædictorum . Hic addimus quod quilibet se excusans teneatur , & debeat dare idoneam fidejussionem , & promittere parere mandatis , comparere , & condemnationem solvere . Alioquin possit , & debeat ponni , & detinendi in carceribus Comunis , vel in Palatio sub bona custodia . Addicentes , quod negans tempore suæ excusationis maleficium , vel debitum sibi imputatum , seu objectum in processu , condemnetur in quarto pluri pœnarum simpliciter imponendæ per formam Statuti , ut sicut confitenti confessio prodest , ita noceat negatio neganti .

De dilationibus in criminalibus dandis .

C A P. IV.

P Ersona citata occasione maleficii , vel delicti ad se excusandum , & defendendum siquidem non comparuerit , & se excusaverit fidejussionem præstiterit , & alia prædicta fecerit , detur ei per Judicem dilatio , & statuatur terminus quinque dierum statim ad sui defensionem faciendam , & in dicto termino possit , & debeat omnem suam defensionem proponere , & super ea probationem inducere ; talis

talism autem terminus non currat nisi oblata reo copia totius facti processus ; & etiam suis expensis data , si petierit , & voluerit . Post dictum vero terminum decursum in aliqua defensione nullatenus audiatur , nisi per officiale steterit , quominus ipse probationes probarentur , & fierent , quo casu tempus eidem restituatur defectu officialis amissum , receptis quoque testibus tam offensæ , quam defense si facta fuerit , publicetur processus , parte præsente , vel requisita , & terminus , sive dilatio statuatur ad accipendum copiam , & opponendum competens , arbitrio Judicis , dum tamen ultra quinque dies non possit extendi . Liceat tamen Judici ex legitima causa impedimenti suo arbitrio restituere reo dilationes decuras . Aliæ vero dilationes emergentes , & opportunæ sint arbitrariæ , & pro motu Judicis moderandæ .

De testibus in maleficiis admittendis , & cogendis , vel non .

C A P. V.

IN criminali causa testes esse non possint parentes pro liberis , & è converso , fratres carnales , nec etiam consobrini si pro fratre dixerint , nec in una , & eadem domo , vel familia habitantes . Nec sacer , vel socrus , gener , aut nurus , & è converso si hujusmodi personæ pro reo , & ejus defensione dixerint , nec etiam alii , qui de jure Comuni à testimonio repelluntur , præter mulieres bonæ famæ , & maiores xiv. annis quorum testimonium etiam in criminalibus valeat , recipiatur , & admittatur , lege aliqua in contrarium non obstante . Insuper testes habitantes in Terra Montis Sancti , qui essent bona conditionis , conversationis , & famæ , & etiâ de dicta Terra nullo tormentorum genere in proferendo testimonio terantur , & torqueantur , salvo quod per quinque dies , & noctes in aliquo honesto loco videlicet masculi in Palatio Potestatis , mulieres in Ecclesia SANCTI STEPHANI , vel alia Ecclesia possit Potestas , & ejus curia personaliter detinere ad testimonium perhibendum , dum tamen mulieres noctis tempore , videlicet post occasum Solis nullatenus teneantur . Possit etiam Potestas , vel Vicarius , non obstantibus supradictis in enormibus maleficiis cum consensu duorum Priorum , qui pro tempore fuerint , vel majoris partis eorum , testes torquere pro informatione , & veritate habenda de talibus maleficiis ad hæc ut veri-

veritas eruatur, non obstantibus supradictis. Et habita informatione, et veritate maleficii, Potestas, et ejus Vicarius debeant processum formare super praedicto maleficio, et infra quintam diem à die dictæ veritatis habitæ, committere citationem, et fieri facere relationem, et successive ad banni dationem, si opus fuerit, procedatur secundum formam Statuti primi hujus tertii libri, et ad omnes alios actus opportunos, et incumbentes circa maleficia, de quibus inquiritur.

De copia danda, & allegationibus bandiendis.

C A P. VI.

Providemus, quod officialis nostri Comunis, in cuius curia procederetur de maleficio, et delicto, ad petitionem ejus, contra quem procederetur, vel alterius petentis pro eo, teneatur exhibere, cum plena commoditate copiandi, tenorem, scripturas, et acta processus formati videlicet de testibus, & eorum dictis post publicationem tantum, & de aliis quandocumque. Et si pars rei ad faciendum fidem alicujus petitionis vellet processum scribi, & publicari manu Notarii maleficiorum, teneatur ipse Notarius ad petitionem petentis scribere, & copiare recipiendo competentem mercedem pro suo labore talis publicationis. Insuper teneatur, & debeat regimen ad minus per sex dies ante sententias criminales ferendas, facere publicare, bandiri per tubatorem in scalis Palatii, & aliis locis consuetis, quod omnes, & singulæ personæ accusatæ, denunciatæ, vel inquisitæ de quocumque maleficio excessuque in curia Potestatis, sive Judicis veniant, & compareant infra quintam diem, tunc proxime sequuturam ad allegandum, & quicquid volunt ad demonstrandum, & dicendum, quare non debeant condemnari de contentis in processibus contra eos formatis, & ad producendum instrumentum pacis, & alia beneficia si quæ habent, & parentorie alioquin &c. Quæ omnia, & singula in præsenti ordinamento contenta teneantur, & debeant officiales observare, & exequutioni mandare sub pœna xxv. libr. denar. de suo salario qualibet vice, quæ contrafecerit.

Qua-

Qualiter dicta testium scribantur in actis.

C A P. VII.

Notarius maleficiorum, & etiam civilium, & quilibet alijs Notarius de aliqua examinatione testium rogatus in quacumque causa, civili, aut criminali, aut mixta teneatur, & debeat vinculo juramenti, & pœna xxv. libr. denar. vice qualibet scriberet in actis apponere dicta testium explicite, & extense non apponendo illa verba dixit vera esse, nec illa dixit ut supra, nec illam clausulam &c., vel aliam similem, aut illa verba de quorum sub intellectu, vel interpretatione aliquorum verborum, quæ non essent expresse dicta, sed potius declaratio sic, videlicet talis testis dixit se tantum scire, & contentis in inquisitione, vel processu, vel articulo, vel alio capitulo, aut petitione super quibus, vel super quo, vel qua examinatio fieret, & subsequenter adducere illa, quæ testis ipse scire dixerit, prout ipse testis protulerit, & non aliter.

De sententiis criminalibus ferendis, & processibus expediendis, & exequutionibus fiendis.

C A P. VIII.

Statuimus, quod Potestas, & Judex, seu Vicarius teneantur, & debeant omnes, & singulos processus, in quibus, & justam, & evidenter causam non habeant impedimenti expedire per condemnationes, & absolutiones infra xl. dies à die excusationis in comparientibus, & à die dati banni in contumacibus, præterquam in accusationibus turbata possessione, vel aliis accusationibus mixtis, in quibus lis suo marte decurrat, non obstante aliqua temporis præscriptione. Et idem facere teneantur, & debeant de processibus pendentibus inceptis per suum prædecessorem: quos novus Potestas teneatur expedire infra tempora supradicta, à die sui introitus, nisi justa causa impedimenti subsisteret, pœna Potestati, & ejus Judici x. libr. de suo salario auferenda. Et si dicti Potestas, & Vicarius processus suos, vel eliquem eorum non possent expedire ex aliqua rationabili causa infra dicta tempora, tunc supradicti termini

mini possint , ac debeant prorogari per Dominos Priors , qui pro tempore fuerint , vel per majorem partem eorum Yemel , vel pluries ad eorum beneplacitum , prout eis videbitur convenire pro bono dicti Comunis , Statuto aliter disponente non obstante . Et in sententiis criminaliter ferendis Potestas , & ejus Judex hoc ordine procedat videlicet die praecedenti ex speciali commissione bandiri faciat per publicum banditorem Comunis in scalis Palatii Comunis Montis Sancti , & in aliis locis publicis , & consuetis dictæ Terræ , qui omnes de concilio generali dictæ Terræ die sequenti ad sonum campanæ venire debeant ad concilium in dicto Palatio , & omnes , & singulæ personæ habentes aliquid facere in curia dicti communis occasione alicujus maleficii , vel excessus , contra quas procederetur in dicto termino , in dicto eoncilio compareant legitime , & perentorie ad eorum criminales sententias audiendum supradictis processibus , quæ bandimenta per tubatorem relata redigantur in actis . Et hujusmodi bandimenta valeant , & reputentur pro vera , & legitima citatione , ac si solemniter , & de jure facta fuissent . Deinde in dicto concilio , & termino præfixo sententias condemnatorias , & absolucionarias ferat , & publice legi faciat per Notarium maleficiorum super his processibus , prout jure viderint faciendum , & sententiae sicutate , vel latè valeant , & plenum obtineant juris effectum , solemnitate , vel forma juris ommissis non obstantibus . Volumus tamen , quod Potestas , seu Judex nostri Comunis suam sententiam condemnationis de quacumque persona occasione cujuscumque maleficii , vel excessus factam , datam , latam , in qua per formam nostrorum Statutorum , & ordinamentorum manifestus error esset , vel appareret in quantitate pœnæ possit præcise , ac debeat licite ipsam condemnationem erroneam corrigere , quo ad quantitatem ipsius infra x. dies inclusive tantum , & non ultra computan. à die latè sententiaz , & in exequitione condemnatorum tantum veram , & debitam quantitatem , quæ imponenda fuerat per formam nostrorum Statutorum , & ordinamentorum cum exigat , & exigere teneatur , superfluum autem ipso jure vigore præsentis ordinamenti intelligatur remissum , & pœnitus resecatum . Et simili modo fiat , & observetur , si pœna , vel quantitas ejus fuisset minor imposta , quæ tunc per eundem Judicem infra dictos x. dies tantum , & non ultra ad majorem , & debitam pœnam possit reduci , quod si per ipsum non reducatur , vel reducere neglexerit infra dictos x. dies eo casu ipso jure

jure intelligatur reducta , non obstante qualiter lecta , vel lata fuisset , & similiter hoc casu dictus Judex cadat in bannum xxv. libr. denar. & elapsis xx. diebus sententiarum , & debeat omnes condemnationes à se , vel sua curia latas in dicta vera quantitate exigere , & facere exequitioni mandari . Condemnationes vero sui predecessoris exigere teneatur infra quindecim dies post introitū sui regiminis officii . Sed si aliquis processus in dictis terminis non expediretur , vel aliquę condemnationes in exequitione retardarentur , nihilominus firmi , & firmæ remaneant , & postea expediri , & exequitioni mandari possint , Non tamen possit Potestas , vel Judex , nec etiam concilium generale possit retractare , vel quoquo modo diminuere , vel mutare aliquam condemnationem debito modo latam jam exactam , solutam , vel exequitioni mandatam . Providemus insuper , quod nullus Potestas , vel Judex intra ultimos x. dies sui officii possit , ac debeat expedire per condemnationem , vel abolitionem aliquem processum , seu processus , nec dimittere aliquem processum pendentem , qui portuerit ante dictos x. dies verisimiliter expediti . Hæc omnia , & singula in hoc Statuto annexa Potestas , sive Judex observare , & exequitioni mandare teneatur in omnibus , & per omnia vinculo iuramenti , & pœna xxv. libr. denar. de suo salario pro quolibet , & qualibet vice .

De beneficiis , confessionis , pacis , & solutionis ante terminum.

C A P . IX.

Q uia etiam de jure Comuni parcitur confitenti , & sponte a geniti quodammodo indulgetur præsenti Statuto firmatus , quod persona accusata , denunciata , vel inquisita occasione cujuscumque delicti , maleficii , vel excessus in curia , vel foro nostri Comunis infrascriptis tribus beneficiis gaudeat , & merito relevetur videlicet si sponte confessus fuerit delictum , vel maleficium ex quo procederetur contra eum quandcumque ante sententiam , ita quod ex ipsa confessione ad intelligentiam , & corroborationem dictorum verborum , scilicet sine aliqua probatione , condemnari possit , vel poterit condemnetur in quarta parte minus totius summaræ , in qua sine beneficio confessionis condemnanda fuisset . Si vero pacem , & concordiam de commissa injuria , vel offensa cum adversario habuit , & publi

publicum instrumentum in actis produxerit, usque ad prolationem sententiæ, ipse, vel alius pro eo pro speciali pacis beneficio condemnetur in alia quarta minus summæ jam dictæ. Item si dictam condemnationem solverit Cameratio Comunis infra tertiam diem à die condemnationis, dimitatur sibi in exequitione pro beneficio solutionis dicti termini quarta pars residuæ quantitatis summæ, quæ solvenda venit de dictis beneficiis antedictis. Alioquin dicto termino elapsò solutionis beneficium sibi non prospicit, & fiat exequitio contra eum secundum formam Statutorum nostrorum videlicet elapsis viginti diebus à die latæ sententiæ. Addito quod supradicta pax possit fieri per patrem offensi, tam offendenti, quam ejus patri, vel aliæ personæ procuræ dicti offendentis cum voluntate offensi, & per offensum, & offendentem cuiuscumque ætatis sit, dum tamen sit major x. annis persona offensa. Item per Procuratorem offensiæ personæ procurare offensiæ personæ Procuratori offendentis, Procuratorio nomine offensi. Et etiam possit produci instrumentum pacis quocumque, ut supra, & de juræ factæ coram Poteestate, Vicario, & ejus curia per Procuratorem offendentis, vel per aliam quamvis personam pro ea, & tantum valeat, quantum fuerit factum, & productum per principalem personam, & quæ pars, & ejus beneficium prospicit solummodo comparentibus per se, vel per Procuratorem, vel defensorem, & non contumacibus.

De pena non probantis accusam, vel denuntiam.

Non probans accusam, vel denuntiam maleficii, quam coram Poteestate, vel Vicario, & eorum curia fecerit, vel produxerit infra temporinum à Poteestate, vel Vicario eidem assignandum ipso facto incurrit in pœnam quartæ partis illius quantitatis, in qua veniret puniendus reus, si accusa, vel denuntia fuisset probata contra eum, & hoc si accusator, vel denuntiator non probaverit accusam in totum, vel in partem, sive etiam denuntiam. Sin autem partem accusæ, vel denuntiæ legitime probaverit, tunc ad dictam pœnam minime teneatur, & ubi plures accusati fuissent, tunc similimodo fiat, & observetur singulariter respectu cujuslibet accusati. Ubi vero pœna imponenda tali accusato non pecuniaria, sed ultimæ supplicia, tunc accusator, vel denuntiator in probatione deficiens in tricentis libr. denar. debeat condemnari sine aliquo beneficio statim, & sine aliqua diminutione alicujus partis. Si vero non pœna mortis imponeretur dicto accusato, sed pœna abscissionis alicujus membra, tunc talis accusator in probatione deficiens condemnetur in C. libr. denar. sine aliquo diminutione. Si vero alia pœna corporalis imponenda veniret tali accusato præter mortem, vel membrum abscissionem, tunc talis accusator, vel denuntiator condemnetur in libr. L. denar. sine aliqua diminutione.

ultimum supplicium, tunc accusator, vel denuntiator in probatione deficiens in tricentis libr. denar. debeat condemnari sine aliquo beneficio statim, & sine aliqua diminutione alicujus partis. Si vero non pœna mortis imponeretur dicto accusato, sed pœna abscissionis alicujus membra, tunc talis accusator in probatione deficiens condemnetur in C. libr. denar. sine aliquo diminutione. Si vero alia pœna corporalis imponenda veniret tali accusato præter mortem, vel membrum abscissionem, tunc talis accusator, vel denuntiator condemnetur in libr. L. denar. sine aliqua diminutione.

Qualiter pater teneatur pro filio, & è converso.

Ut patres filiorum correptiones agere studeant decernimus, quod ad pœnam delicti, seu maleficii per filium familias commissi omnia ipsius filii familias delinquentis bona undique acquisita cedant, & in exequitione veniant, non obstante, quod pater familias in eis, vel eorum aliquo quomodocumque prætenderet usufructum, vel eis utendi, & fruendi. Volumus etiam, quod ipse pater de bonis suis propriis pro delicto, sive maleficio sui filii familiæ teneatur, & conveniri possit, & exequitionem pati debeat usque ad integrum, legitimam inclusive, quæ tali delinquenti deberetur de jure, si ipse parens fuisset præmortuus, nisi talis filius familias vere, & legitime mancipatus, vel annexibus patriæ Potestatis liberatus fuisset, & tempore maleficii, & delicti seorsum à parente, non fice, sed vere talis filius habitaverit; quo casu in dicta legitima bonorum viventis patris nullam fieri volumus contra patrem noxiæ, sive novitatem. Filius vero pro patre occasione delicti teneatur, & in bonis, quæ patris essent, vel spectarent ad eum videlicet pro iure ipsius patris tantum. In aliis autem casibus filius familias, vel è converso nullatenus teneri volumus, vel in aliquo molestari cum alteri per alterum aliqua contradictio afferri non debeat, nec alter alteri pergravari.

De pena non cunctadientium dies Festos, & Dominicales.

C A P. b XII.

Dies Dominicales omnes, & singulos, neenon quolibet dies festos contentos, expressos, & enumeratos supra in primo libro lib. Rubr. de venerazione Sanctorum, volumus in honorem Dei ab hominibus venerari, & nullum laborerium aliquo ipsorum dierum fieri concedimus, exceptis quibusdam casibus in jam dicto ordinamento comprehensis, quibus pena nulla imponitur. In aliis vero diebus, vel laborerium prohibitum faciens secundum formam dicti Statuti in x. solid. denar. pro quolibet puniatur, salvo, & reservato ab utroque ordinamento, quod reliqui similes casus necessitatis, & maxime de ferendo aliquod ad nostram marinam remaneant, & consistant in arbitrio, & discretione officialis, recepto prius corporali iuramento ab eo, qui talem necessitatem prætenderet, dum tamen ligna comburenda aliquo dierum prædictorum nullatenus apparetur. Tempore vero alicuius suspicionis, vel guerræ, tempore missum cum licentia officialis possint dictis diebus de arëis ad terram deferri trumenta cuiuscunque generis impune. Item olivæ, quæ per friscularios colliguntur à passariis, vel quæ ad petitionem Massariorum macinahæ forent similiter impune portentur dictis diebus de domibus ad frisculos de sero post consuetam horam, & pulsationem laudi, & non ante. Speciarii etiam eorum artem occasione infirmorum, vel etiam mortuorum similiter dictis diebus, & quibuscumque horis exerceant.

De pena blasphemantis Deum, & Sanctos.

C A P. XIII.

Maledicens, seu blasphemans Deum, aut Christum, aut Virginem Mariam pro tanta superbia, & temeritate pro quolibet, & qualibet vice in xxv. libr. denar. puniatur etiam de facto, si Potestati, & Vicario videbitur, habita primo veritate delicti per confessionem delinquentis, vel legitimam probationem testium. Alios vero Sanctos, & Sanctas maledicens, vel blasphemans in lib. x. den. vice

vice qualibet puniatur de facto pro quolibet verbo, stetur Potestati, & Vicario si videbitur, vel procedere contra eos, ut eis videbitur. Dicens autem contra Deum, vel Sanctos hæc verba *de la ne sia Dio*, vel *de la ne sia la Vergine Maria*, vel nominando alios Sanctos cum his verbis, vel alias Sanctas, vel alia similia verba, de quorum similitudine stetur libero arbitrio Potestatis, vel Judicis: vel dicendo ad ludum taxillorum, vel alium ludum, in quo denar. rincantur, vel perdantur, vel in aliqua rixa verbis, vel factis commissa hæc verba videlicet *maledetto sia ch'io dico*, vel similia verba, de quorum similitudine libere stetur etiam arbitrio Potestatis, vel Judicis pro quolibet, & qualibet vice in quolibet

casum proxime in libr. v. denar. condemnetur, vel de facto puniatur ut supra dictum est in præcedentibus casibus. Quas penas supradictorum quorumlibet caluum singula singulis referendo, si talis delinquens non solverit cum effectu, & sine aliqua diminutione, & detractione infra terminum competentem arbitrio Potestatis, vel Judicis statuendum saltim x. dies post condemnationem, vel post præceptum eidem factum de solvendo, quod dictus talis non solvens mordachietur in lingua taliter, quod per os suum evidenter apparat, & loqui non possit, & ad catenam Comunis in Platea per gualam ligetur publice, & palam ibidem permanens ad voluntatem Potestatis, vel Vicarii, & nihilominus sono tubæ præmisso per Terram Montis Sancti fustigetur. Si vero talis sic condemnatus secunda vice blasphemaverit Deum, vel Virginem Mariam, vel aliquem Sanctum, vel Sanctam, tunc pro tali secunda vice debeat condemnari per sententiam, videlicet si vero Deum, vel Christum, vel Virginem Mariam blasphemaverit condemnetur in libr. L. denar. & si alium Sanctum, vel Sanctam, condemnetur in libr. xxv. denar. & in quolibet prædictorum casum si supradictam condemnationem non solverit infra x. dies à die latæ sententiae sine aliqua diminutione, & detractione sono tubæ præmisso per Terram Montis Sancti publice fustigetur, & nihilominus eidem lingua amputetur, ita quod ab ore ejus separetur, ut de cætero loqui non possit.

*De pœna jurantis per Corpus & Sanguinem, vel alia Membra
Dei, vel Sanctorum, & Sanctorum Dei.*

C A P. XIV.

Jurans per *Dæi*, aut *Christi*, aut *Virginis Mariæ Corpus*, vel *Sanguinem*, aut *Viscera*, vel *alia Membra*, de quorum similitudine libere stetur arbitrio *Potestatis*, vel *Judicis*, puniatur de facto pro quolibet, & qualibet vice in x. solid. denar. sine aliqua diminutione. Jurans per *Viscera*, & *alia Membra* *aliorum Sanctorum*, & *Sanctorum*, puniatur de facto in v. solid. denar. sine aliqua diminutione. Sed si aliqua persona dixerit per *la Potta della Vergine Maria*, vel per *il Culo*, & his similia, de quorum similitudine libere stetur arbitrio *Potestatis*, vel *Judicis*, puniatur in libr. xxv. denar. vel de facto puniatur, prout *Potestati*, vel *Judici* videbitur convenire sine aliqua diminutione, quas xxv. libras si talis delinquens non solverit infra x. dies à die sententiae, vel postquam fuerit sibi praepatum de solvendo per *Potestatem*, vel *Vicarium*, & talis non solvens in dicto termino, ligetur ad catenam Comunis publice in Platea Comunis mordachia in lingua, & nihilominus per Terram Montis Sancti publice cum sono tubæ fustigetur. Si vero juraverit per *Pottam*, vel *Culum*, vel his similia *aliorum Sanctorum*, de quorum similitudine stetur arbitrio *Potestatis*, vel *Judicis*, tunc puniatur in libr. denar. cum supradicta conditione. Aliorum vero *Sanctorum* praedicta, vel aliquid praedictorum, vel similia jurans, de quorum similitudine stetur, ut supra puniatur pro qualibet vice de facto in libras y. denariorum. Jurans autem per *Culum*, vel *Potram Dei*, seu *Christi*, vel per alias inferiores particulas corporis, & his similibus, de quorum qualitate interpretatione, & similitudine, stetur arbitrio *Potestatis*, vel *Judicis*, & condemnetur, sive puniatur pro qualibet delinquente, & qualibet vice, & qualibet verbo in x. lib. denar. sine aliqua diminutione, & beneficio legis, vel Statuti, quam pœnam non solvens infra x. dies à die condemnationis, vel die precepti sibi facti de solvendo, dicto termino elapo cum mordachia ad catenam Comunis in Platea publice ligetur per gulam ibidem permanens ad voluntatem Domini *Potestatis*, vel *Judicis*. Declaramus insuper, quod in omnibus, & singulis casibus, tam præsentis

Sta-

Statuti, & ordinamenti, quam etiam præcedentis possit, & debeat procedi per inquisitionem ex mero officio *Potestatis*, vel *Judicis*. Et etiam per denunciationem, & accusationem cuiuscumque personæ, & talis accusatus, inquisitus, vel denuntiatus, detineatur in carceribus, donec solverit condemnationem, vel illam quantitatem pecuniae, quam præceperit *Potestas*, vel *Judex* occasione prædictorum. Volumus tamen quod quilibet *Potestas* Terræ nostræ in principio sui officii teneatur, & debeat facere publice bandiri prædicta, & etiam facere, & ordinare xvi. custodes privatos videlicet quatuor pro quolibet quarterio ad referendum maleficia omnia, & singula committenda in Terra Montis Sancti, & ejus districtu, & maxime jurantes, & blasphemantes *Deum*, & *Sanctos*, vel *Virginem Mariam*, & *Sanctas*; aliæ pœna x. libr. denar. de suo salario retinenda: cui custodi credatur cum testificatione duorum testium, & fide dignorum bonæ conditionis, & famæ, & teneatur secretus.

De perjurio, & ejus pœna:

C A P. XV.

Digerant temeritates metu pœnarum refrenare cupientes, sancimus, quod dejerans in quacumque causa civili, vel criminali, vel aliter quocumque in *Judicio*, vel extra, in L. lib. denar. puniatur, & quantum ad pœnam hujus Statuti responsio credulitatis facti positioni, præstito à respondentे jūramento calumniæ, cum de proprio jurantis, & respondentis facto tractatur, habeatur, ac si jūramento veritatis esset responsum; per hoc tamen non derogamus Statuto positio supra in secundo libro sub capitulo de jurejurando, quinimmo volumus, illud anteponi in causa suo præsenti ordinamento.

*De pœna blasphemantis Ecclesiæ Romanæ, Papam,
Cardinales, vel Marchie Rectores.*

C A P. XVI.

Cum Ecclesia Romana, ipsiusque Rectores, & Duces, sint aliis quibuslibet præponendi, & venerandi, ideo hac lege statui-

O 3

statulmus, quod si quis in tantam superbiam, & audaciam pervenerit, quod maledixerit, seu blasphemaverit *Ecclesiam Romanam, Papam, vel Cardinales*, vel aliquem eorum, vel *Marchionem*, quomodo cumque dicendo, videlicet *sia maledetta la Chiesa di Roma*, vel, *sia impiccato il Papa*, & his similia verba dixerit, de quorum similitudine libere stetur arbitrio Poteſtatis, vel Judicis, talis ſic dicens, punitatur de facto de quocumque prædictorum verborum vice qualibet in xxv. libr. denar. ſine aliqua diminutione. Idem ſimiliter ſiat de eo, qui ſic dixerit de Legato Dñi Papaz in partes Marchiæ Anconæ, vel de Dño Marchione, vel ejusdem Locumtenente, & prædicta punitio ſiat per processum, & condemnationem, vel de facto, prout Poteſtati, vel Judicii videbitur expedire.

De pena dicentis verba injuriosa, vel re impropria.

C A P. XVII.

Si que persona contra aliam præſentem, vel absentem dixerit, vel protulerit verba injuriosa videlicet traditore, affaffino, falſo, ravaglioſa, & his similia verba, de quorum ſimilitudine ſtetur libere arbitrio Poteſtatis, vel Vicarii, condenuetur pro qualibet vice, & qualibet verbo in x. libr. denar. Si vero alia leviora verba dixerit videlicet *puttana, furo, latro, ruffano, tu ti menti, tu sei una bestia, figliol de la puttana, afno, sanguinente, merda d'afno*, & his similia verba, de quorum ſimilitudine ſtetur arbitrio Poteſtatis, vel Judicis, condenuetur pro qualibet verbo, & qualibet vice talis ſic dicens in xl. ſolid. denar. Et ſi fuerint plura verba dicta uni, ſtetur declaracioni, & diſcretioni Poteſtatis, vel Judicis, pro quorū verbis accipiatu, dummodo ſupradicta proximiōri verba leviora ſi quis dixerit non poſſit condenari niſi pro verbis, & etiam ſi dixerit mille verba, & mille vicibus in uno loco, & una fixa. Si vero aliqua persona reimproperaverit, & reimproperatoria verba dixerit alicui, ſeu in aliquam personam præſentem, vel absentem, condenuetur in libras xx. denar. pro qualibet verbo, & qualibet vice. Impropria, ſeu reimproperatoria verba intelligantur, ſi quaē persona contra aliquam dixerit de falſitate, de occiſione, vel ravelloſitate, de petuſione cum ſanguine, vel cicatrice, vel plaga, vel de exequitione personaliter fa-

cta

ta per aliquem officialem, & his similia, de quorum ſimilitudine ſtetur arbitrio Poteſtatis, vel Judicis. Item quæcumque perſona contra aliquam personam aliquam turpem verecundiam per cantilenam personaliter, vel impersonaliter fecerit, dixerit, vel cantaverit, itaquod poſſit veriſimiliter ad injuriam revocari in lib. xxv. denar. pro quolibet, & qualibet vice condenuetur, & de tali veriſimilitudine ſtetur arbitrio Poteſtatis, vel Judicis, in quantum aliter probari non poſſit. Quæcumque vero perſona injurioſe blaſphemaverit aliquam personam dicendo, *che te venga il fuoco di S. ANTONIO*, vel, *che te venga la rabbia*, vel *che te venga la cadia*, vel *che te venga il mal de la pietra*, vel his similia: de quorum ſimilitudine ſtetur arbitrio Poteſtatis, vel Vicarii, condenuetur pro quolibet dicente, & pro qualibet vice, & blaſfemia in C. ſolid. denar. dum tamen ultra ſex blaſfemias condenari non poſſit. Si tamen prædicta verba, vel aliiquid prædictorum dicta fuerint per vilem, abjectam, non bonæ conditionis, & fama perſonam, contra honestam perſonam, tunc talis delinquens, in quolibet caſiu prædictorum condenuetur in duplo poenarum prædictarum ſecondum formam & diſtinctionem ſuptadictam. A ſupradictis omnibus excipimus, & reservamus, quod ſi pars, contra quam dicta verba injuriosa, vel aliiquid verbum dicta, vel dictum, prolatum, vel prolatum fuerit, comparens quandocumque uisque infra tertiam diem post accusationem coram regimine, dicens ſe non revocasse, nec revocare dicta verba ad injuriam, & petierit de iphis non procedi ulterius ſuper iphis, vel occaſione ipſofum, minime procedatur, nec poena exigatur, dum tamen talis, contraria quē processum, vel procedendum eſſet, pro qualibet verbo injurioso ſolvat ſtatiſt de facto x. ſolid. denar. Item quæcumque perſona blaſphemaverit aliquam bestiam, punitatur de facto in ſolidi quinque denar. ſine aliqua diminutione.

De pena facientis rumorem.

C A P. XVIII.

Quicumque ſcienter, & malo modo aliquā verba contumelioſa, ſcandalosa, & ſuſpecta, alta voce clamando, cum imperio, & rugina, dixerit in honeſte vociferando, à l' arme, ad l' arme

I' arme , vel , accorrete , accorrete , vel populo , populo , vel amone te , amonete ; vel , moriatur , moriatur , vel similia verba cum clamore , unde tumultus gentium , & occursus insurrexit in populo in Terra Montis Sancti siue justa , evidentia , legitima , & rationabili causa imminentia , talis sic delinquens condemnetur in libr. mille denar. quas si non solverit infra x. dies , postquam pervenerit in fortiam dicti Comunis , qui ducatur ad locum justitiae consuetum , & eidem ibidem caput à spatu lis amputetur , ita quod pœnitus moriatur , & ejus pœna cœteris transeat in exemplum.

De pœna insultus cum armis , vel sine .

Reipub. interest , ne maleficia remaneant impunita. Igitur statuimus , quod si quis sine armis in Terra Montis Sancti injuriouse fecerit insultum contra aliquem , movendo se de loco ad locum , eundo personaliter contra eum , condemnetur in x. libr. denar. Si vero contra eum manu adminaverit , pro qualibet administratione condemnetur in x. libr. denar. pro tali administratione immediate sequita confundatur insultus ; Si vero aliquis contra aliquem insultum fecerit in Terra Montis Sancti cum aliquo genere armorum de ferro , condemnetur in libr. xx. denar. Et si cum dictis armis adminaverit contra eum , condemnetur in xx. libr. denar. & pro tali administratione immediata sequuta confundatur insultus . Et si cum dictis armis non adminaverit , sed extraxerit tantum contra aliquem , condemnetur in libr. decem denar. Et si prædicta omnia in eadem hora contigerint , condemnetur solum de administratione una , vel pluribus , & insultus , & armorum extractio , administratione sequuta , pœnitus confundantur . Sed si fuerit insultus tantum cum extractione armorum , condemnetur solum de insultu , & non de extractione armorum. Sed si vero cum baculo , vel alio ligno , vel lapide , vel alia re apta ad nocendum , præter ferrum , vel rem ferratam , aliquis contra aliquem insultum fecerit , vel adminaverit , & non percusserit , condemnetur in libr. x. denar. Si vero percusserit , condemnetur de percussione , & non de insultu , nec administratione . Et intelligatur , confundi insultum , & administrationem , si in eadem rixa aliqua percussio per predictum insultantem , & adminantem facta fuerit quomodo-

modocumque cum armis , vel sine armis in personam insultati : dum tamen pœna percussus fuerit minor quam pœna insultus , vel administrationis , vel equæ talis : quia solum punitur de percussione , & non de insultu , nec de administratione . Et supradicta omnia , & singula locum habeant , si prædicta , vel aliquod prædictorum commissa fuerint in Terra Montis Sancti . Si vero committerentur supradicta , vel aliquod prædictorum extra Terram Montis Sancti , tunc condemnentur tales delinquentes in medietate pœnae secundum distinctionem supradictam in quolibet supradictorum casuum : quæ medietas pœnae habetur pro simpla pœna .

De pœna percutientis , vel offendentis aliquam personam cum armis ferreis , & de cicatrice .

Si quis in Terra Montis Sancti , vel ejus territorio , preterquam in strata Portus , & in Portu , & in litore Maris aliquem percusset cum aliquo genere armorum ferreorum in capite , collo , vel gula , vel facie , vel à collo supra , cum sanguinis effusione , condamnetur pro qualibet percussione in libr. C. denar. si vero sine sanguinis effusione quis percusserit aliquem cum aliquo dictorum armorum in aliquo dictorum locorum , condemnetur pro qualibet percussione in L. libr. denar. si vero ex tali percussione facta aliquod signum , seu cicatrix enormis , & evidens sit in facie perpetuo remansura , talis sic percutiens condemnetur in libr. CC. denar. & quod tale signum , sive cicatrix sit in facie perpetuo remansura stetur declaratio nis consilio , & sententia duorum Medicorum , si erint in Terra Montis Sancti , vel saltim unius Medici , quando plures non sunt in dicta Terra , cum juramento ejusdem Medici , vel eidem Medico per Potestatem , vel Vicarium dando de veritate dicenda , declarando , & sententiando super dicto vulnere , quæ sententia Medicorum , vel Medicis expensis delinquentis . Si vero ex tali percussione facta in facie talis percussus perdidit oculum , vel videre oculi , vel nasum , tunc pro quolibet oculo perduto , vel pro videre perduto , vel naso perduto talis delinquens condemnetur in libr. CCC. denar. quam

quam pœnam tricentarum librarum, seu condemnationem si talis condemnatus non solverit infra x. dies à die sententiæ, seu condemnationis computandos, amputetur sibi manus, cum qua prædictum maleficium fecerit. Si ex tali percussione facta in facie ceciderit aliquis dens ex ore dicti percussi, vel aliquis fuerit fractus, tunc ultra pœnam percussionis talis percutiens condemnatur pro qualibet dente fracto, vel qui ceciderit de ore percussi, in L. libr. denar. Cum autem aliquem aliquis percuesserit in dicta Terra, vel extra, ut supra dictum est, cum dictis armis, à gula infra, cum sanguinis effusione, talis delinquens condemnatur in libr. L. denar. & si ex dicta percussione cum sanguinis effusione inciserit aliquod membrum, ut puta manum, vel pedem in totum, ita quod à corpore separetur, condemnatur talis delinquens in libr. quingentis denar. & si talis condemnationem non solverit infra x. dies à die latæ sententiæ computandos, eidem manus ejus, quæ dictum malum fecerit, amputetur, ita quod à bracchio separetur. Si vero aliquem digitum manus inciderit, & à manu fecerit separari, condemnatur pro qualibet digito inciso in libr. C. denar. Si vero membrum non inciserit, sed debilitaverit, ita quod membrum sic debilitatum perdat operationem suam, condemnatur talis delinquens in libr. CC. denar. Si autem digitum non inciserit, sed debilitaverit, condemnatur pro qualibet digito debilitato in libr. L. denar. & de prædicta membrorum debilitatione, & digitii debilitatione stetur declarationi, & sententiæ Medicorum, vel Medici, ut supra dictum est de cicatrice. Si vero aliquis aliquem percuesserit cum dictis armis in ejus persona à gula infra, sine sanguinis effusione, condemnatur talis percutiens pro qualibet percussione in libr. xxv. denar. & si cum debilitatione membra, vel digitii, condemnatur ut supra dictum est. Et quantum ad supradicta in omnibus casibus supradictis intelligatur, & esse reputetur anima ferrea, omnis materia de ferro apta ad nocendum, licet formam armorum non habeat.

De

De pœna offendentis, vel percutientis aliquem cum armis non ferreis.

C A P. XXI.

CUm lapide, baculo, virga lignea, osse, vitro, vel simili materia, cum qua noceri possit, præter ferrum, aliquis aliquem offendens, seu percutiens, puniatur, & in qualibet supradictorum casuum condemnatur secundum qualitatem delictorum in proximo præcedenti Statuto comprehensorum juxta varietatem, & distinctionem ipsorum casuum pro qualibet, & qualibet vice in medietate pœnarum supra in præcedenti capitulo proximo positarum. Præterquam in pœnam cicatricis, & amputatione, & debilitazione membra, oculi, & nasi, digitorum, & dentium, ut supra dictum est in præcedenti capitulo, vel Statuto, quæ pœna in suo labore semper durent, & locum habeant, & in præsenti Statuto, si commissum fuerit per aliquam personam aliquod dictorum maleficiarum cum aliqua materia, de qua fit mentio in principio præsenti statuti.

De pœna percutientis aliquem manu vacua.

C A P. XXII.

Si quis injuriose aliquem in Terra Montis Sancti manu vacua percuesserit in facie cum sanguinis effusione, de facto condemnatur talis percutiens in libr. L. denar. pro qualibet percussione cum sanguine. Si vero sanguis non exiverit ex dicta percussione, condemnatur talis percutiens in libr. xxv. denar. pro qualibet percussione sine sanguine. Si vero aliquis aliquem percuesserit manu vacua in capite, collo, vel gula cum sanguinis effusione, condemnatur percutiens pro qualibet percussione cum sanguine in libr. xl. denar. Si vero sine sanguinis effusione, condemnatur pro qualibet percussione in libr. xx. denar. Si vero aliquis aliquem percuesserit in dicta Terra manu vacua in aliis partibus corporis à gula infra, si cum sanguinis effusione, condemnatur pro qualibet percussione cum sanguine in libr. xxv. denar, si sine sanguinis effusione, condemnatur pro qua-

qualibet percussione in libr. xii. & solid. x. denar. & si prædicta, vel aliquod prædictorum quis commisserit extra Terram Montis Sancti, præterquam in strata Portus, vel in Portu, vel in litore maris, condemnetur solum in dimidia poena dictarum pœnarum supra in præsenti capitulo positarum secundum distinctionem supradictam, quæ poena pro simila habeatur. Si vero ex quacumque percussione alicui facta quocumque modo caputeum, cappellinam, cappellum bom-bacinam, vel bambacile, vel aliquod his simile talis percutiens eadere fecerit de capite percussi, vel levaverit, itunc pro tali casura, sive levamento, ultra poenam percussionis, condemnetur in solid. C. denar. Si vero vel manu vacua aliqua persona contra aliquem non percusserit, sed adminaverit, pro qualibet administratione ubicumque facta, in xxx. solid. denar. puniatur.

De pluribus injuriis, & offenditionibus simul factis.

Ubicumque verbis, vel factis simul, vel etiam in uno, & eodem contestu sine intervallo, vel separatim plures offenditiones fecerit, vel commiserit contra aliquem, vel aliquam quotiescumque, & qualescumque fuerint offenditiones in quibus, vel aliqua eam non foret alia specialis determinatio per formam nostrorum Statutorum, & ordinamentorum, decernimus non pro uno solo facto, vel dicto, nec pro una sola offenditione reputari, vel haberi, sed pro diversis potius, & pluribus offenditionibus, vel injuriis reputari volumus, & haberi; ita quod earum nulla, prætestu conjunctio-nis, vel unitatis, remanere valeat impunita, sed potius punitio semper fiat de aliqua offenditione, & in una; & separatim commissa venirent punienda. Salvo, & excepto quod insultus impetuosus cum quo, in quo, ex quo aliqua percussio, vel administra-tio facta, vel sequuta fuerit in eadem rixa contra eamdem, & per eamdem personam semper confundantur. Et etiam administra-tio, per quam, in qua, vel cum qua percussio aliqua facta fue-rit, similiter confundatur, & quod de tali insultu, & administra-tione nulla condemnatio, vel executio fiat. Item de sola por-tatione, vel extractione, aut dolosa projectione armorum, cum quibus nocere quis possit; siquidem ex ipsa portatione, extractio-ne,

ne, vel projectione, seu in ea facta, vel sequuta fuerit in ea-dem rixa, & inter easdem personas aliqua administratione, vel per-cussio, nemo puniatur. Sed de administratione, vel percussione, quæ inde sequuta fuerit; ita quod semper talis portatio extractio, & projectio confundatur, & sit impunis. Administratio vero, sive percussio inde sequuta puniatur.

De mitigatione pœnarum inter mulieres.

Quia sexus mulieris fragilis est, & ipsæ magis sunt pronæ ad rixandum, quam ad filandum, ideo statuimus, quod quo-tielcumque configerit, quod mulieres inter se ipsas rixantes una percutiat alteram cum armis, vel sine armis, cum sanguinis effusione, vel sine, vel verba injuriosa, vel reimproperosa dixerit una contra aliam, quamvis una realem, verbalem, vel persona-lem una contra alteram dixerit, vel fecerit verbo, vel facto, in dimidia poena teneantur; masculus qui contra masculum aliquod fecerit, dixerit, vel commiserit, debeat condemnari, quæ poena dimidia inter mulieres habeatur pro simila. Exceptis poenis homicidii, cicatricis, amputationis, & debilitationis membrorum, & oculi, & nasi, & digitorum, & dentium, ut supra dictum est in proximo præcedenti capitulo, quæ poena prædictis mulie-ribus etiam inter se ipsas sicut delinquentibus.

De poena procientis lapidem, vel alia arma, vel lutum, sputum, bructuram, vel rem turpem in rem, vel contra personam aliquam.

Si quæ persona contra aliquam personam injuriose projicerit la-pidem, vel alia arma ferrea, vel lignea, vel aliquod gen-uus armorum, vel aliquod aliud, cum quo noceri posset, siqui-dem ex tali projectione non percusserit, condemnetur talis pro-iciens arma ferrea in libr. xxv. denar. Si vero arma non ferrea pro-jecterit, & non percusserit, condemnetur in libr. x. denar. Si vero per-

percusserit cum aliquo dictorum armorum ferreorum, vel non ferreorum, quando ea projecterit, condemnetur secundum formam Statuti positi sub capitulo de poena percutientis, vel offendentis aliquam personam cum armis &c., vel secundum formam Statuti positi supra de offendentis, vel percutientis aliquam personam cum armis non ferreis &c., prout fuerint arma cum quibus percusserit, & tunc projectio cum percussione confundantur. Si vero aliqua persona injuriosa contra aliquem sputum spuit in faciem, condemnetur in libr. x. denar., sed si in alia parte corporis, condemnetur in libr. quinque denar. si autem lutum, vel aliquid turpe, vel bruturam aliquam, vel aliud noxiun, vel injuriosum projecterit in faciem alicujus, condemnetur in libr. x. denar. & si in aliam partem corporis, in sol. & denar. & si pannos cum cali turpitudine, vel bructura illi bruttaverit, vel vittuperaverit, tunc, ultra poenam supradictam, talis sic proiciens dicto tali, cuius pannos bruttaverit, ad emendationem damni in duplo secundum extimationem fiendam, per duos bonos homines per eorum Sacramentum eligendo, per Dominum Potestatem, vel Vicarium statim illata injuria, & veritate reperta, cogatur de facto per Potestatem, vel Vicarium, non obstante aliquo Statuto in contrarium facto, vel loquente. Si vero aliquis contra aliquam personam projecterit nivem, vel glaciem in capite, vel alia parte personae, & tunc talis, cui glacies, vel nix fuerit projecta sibi ad injuriam revocaverit, & Potestati, vel Vicario denunciarerit, condemnetur, vel glaciem, vel nivem proiciens arbitrio Dominorum Potestatis, Vicarii, & Dominorum Priorum, considerata qualitate personarum, & excessus, qui si eis videbitur, de facto etiam puniatur absque aliquo processum indificiendo.

De poena ponentis in persona, vel domo, vel ostio alicujus aliquam rem turpem, vel injuriosam, vel noxiun,

C A P. XXVI.

Si quis injurioso in persona, in domo, vel ostio domus alicujus, vel super ostio alicujus posuerit, applicaverit, miserit, vel adheserit aliquam rem vittuperosam, vel deluxoriam, vel noxiun, vel turpitudinem aliquam, vel aliquod turpe, condemnetur in libr.

x. denar.

xi. denar. Sed si quis injurioso posuerit, vel miserit imponere alicujus propriam, vel conductam extra Terram Montis Sancti, vel in ostio dictæ possessionis scilicet ante ostium per duo bracchia, vel sub tecto, vel transannam dicti ostii aliquod animal mortuum, fetidum, vel aliquod aliud turpe, condemnetur eadem poena. Et in quolibet supradictorum casuum hujus capituli condemnetur talis delinquens aliquo dictorum casuum in minori, & majori summa usque in xxv. libr. denar. arbitrio Domini Potestatis, vel ejus Vicarii, & Dominorum Priorum, inspecta qualitate personæ, quæ prædicta fecerit, & personæ, cui facta sunt, & qualitate animalis, seu turpitudinis positæ, & factæ in præfatis locis, vel aliquo eorum in cuius Terram, vel extra, & causa, quare prædicta facta fuerint.

De poena levantis, vel lacerantis pannum de capite, vel dorso.

C A P. XXVII.

Si quis injurioso laceraverit, vel cadere fecerit caput, biratum, cappellum, bendam, vel alium pannum de capite alicujus, ita quod caput remaneat disscopertum, non tamen percutiendo eum, condemnetur sic faciens in libr. decem denar. pro qualibet vice; & si injurioso laceraverit quis pannum aliquem in dorso alicui, in eadem poena condemnetur, & nihilominus de facto cogatur per Dominum Potestatem, vel Vicarium ad emendationem damni dicti panni lacerati dicto damnum passo cum duplo dicti panni, vel vaoris dicti panni.

De poena offendentis aliquem in persona aliter, quam percutiendo.

C A P. XXVIII.

TEnore præsentis Statuti mandamus, quod si quis injurioso ceperit aliquem per barbam cum manu, & eam tiraverit, vel pilos à barba extraxerit, condemnetur in libr. L. denar. Si quis injurioso ceperit aliquem solum per barbam, & eam non tiraverit, nec pilos extraxerit, condemnetur in libr. xxv. denar. Si autem aliquis injurioso aliquem ceperit per capillos, & per terram stra-

P 2

finis

sinaverit, tenendo, & tirando capillos, condemnetur in libr. L. denar, etiam si dictos capillos extraxerit. Si vero ceperit solum per capillos, & tiraverit, non tamen ceciderit in terram, nec strasinxerit, condemnetur in libr. xx. denar. & si eo casu de dictis capillis extraxerit, condemnetur in libr. xxv. denar. Sed si aliquis injuriose aliquem ceperit per personam cum manu, vel per pannos, vel per centuram, vel eum impinserit, & pro prædictis non fecerit eum cadere in terram, condemnetur in libr. x. denar. Si autem talis captus, vel impintus ceciderit, & pro prædictis non fecerit effusionem, condemnetur talis delinquens in libr. xx. denar. Si vero ex dicta causa exiverit sanguis de facie, vel de capite, condemnetur talis delinquens in libr. L. denar. Et si sanguis exiverit ex alia parte corporis, condemnetur delinquens in libr. xxv. denar. Et prædicta intelligantur, si ex uno loco solo personæ exierit sanguis. Sed si de pluribus partibus personæ sanguis exiverit, si à collo supra, sanguis exiverit de pluribus locis, quocumque sint, condemnetur in libr. C. denar, & non plus. Si in gula, vel collo, vel ab inde infra sanguis exiverit de pluribus locis, quocumque sint, condemnetur talis delinquens in libr. L. denar. Si vero ex dicta causa aliquod membrum debilitaverit, vel membrum, os, condemnetur talis delinquens in libr. C. denar.

De pœna opponentium se bajulis Comunis, & eorum officio exercendo.

C A P. XXIX.

Ad reprimendum superbiam aliquorum non permittentium, se pignorari à bajulis, seu à bajulo nostri Comunis, statuimus, & firmamus, quod si quæ persona masculus, vel femina tantè fuerit audacie, quod opposuerit bajulo nostri Comunis in suo officio exercendo, & dum exercet officium, videlicet non permittendo, se pignorari, dum aliquis bajulus mandato alicujus officialis ivisset ad pignorandum aliquam personam pro aliquo facto civili, vel criminali, & dicta talis persona se bajulo opposuerit non permittendo, intrare bajulum in domo pro pignore, vel aliter non permittendo, quod bajulus accipiat pignus aliquod, puniatur talis persona de facto per Potestatem, vel Vicarium usque in xx. solid. denar. de qua oppositione stetur, & credatur relationi bajuli sine aliquo teste, si

vero

vero cum uno teste fide digno, puniatur de facto per condemnationem ad voluntatem Potestatis, vel Vicarii usque in C. solid. denar. Si vero bajulus iverit ad pignorandum aliquam personam, & bajulus, Notarius Potestatis, vel Cancellarius Comunis, vel aliquis eorum famulus esset cum dicto bajulo ad pignorandum aliquam personam occasione cujuscumque officii, & talis persona in præsencia dicti Notarii, vel famuli alicujus officialis non permisérit le pignori, talis persona condemnetur in x. libr. denar. & stetur relationi bajuli, & talis officialis, vel famuli: quæ pœna possit augeri per Potestatem, & Vicarium, & Priors, considerata qualitate personarum, & facti. Ubi autem dicta talis persona se opponens aliquam injuriā personalem fecerit dicto bajulo, vel eidem aliqua verba injuriosa dixerit, tunc talis persona sic delinquens, ultra prædictam pœnam, condemnetur in aliis pœnis in Statutis in præsenti volumine insertis, & specificatis secundum maleficia, quæ fecerit, vel dixerit, habita prius legitimā veritate de maleficiis, quæ dicta, vel facta dicerentur per confessionem injuriantis, vel legitimam testimoniū probationem.

De homicidio, & ejus pœna.

C A P. XXX.

Homicidium scienter, & dolose faciens, vel committens, vel etiam scienter, & dolose mandans homicidium fieri in Terra Montis Sancti, vel in ejus districtu, & territorio, ubicumque capitali pœna puniatur, ita quod pœnitus moriatur, & si fuerit homo malæ conditionis, & famæ, qui homicidium commiserit in strata Portus, vel in Portu, vel in litore maris, vel homicida, strasinetur ad caudam Asini usque ad locum homicidii perpetrati, & ibidem decapitetur, vel suspendatur ad arbitrium regiminis, considerata qualitate, & conditione personarum, & qualitate, & causa homicidii. Si vero aliquis ex supradictis malefactoribus ad manus, & fortiam nostrorum officialium non venerit, tunc ponatur in publico banno de Terra Montis Sancti, & ejus territorio, & ejus bona omnia mobilia, & immobilia nostro Comuni publicentur, & confischentur, & pro dicto Comuni vendantur. Sed si pro uno homicidio plures fuerint culpabiles, tunc siquidem appareat de interfecto,

seu homicida, & alii homicidæ tantum associayerint, tales asso-
ciates dederint, & præstiterint dicto homicidæ auxilium, consi-
lium, & favorem, & operationem videlicet detinendo occisum, vel
eum percutiendo, seu se opponendo, ne talis possit fugere pro-
pter quam oppositionem, & impedimentum eidem factum fugere
non potuit, & sic fuerit occisus, vel similia facientes, tunc eo ca-
non in eamdem pœnam, quam homicida, quilibet eorum incurrat,
& contra supradictos, & quolibet eorum Potestas, vel Vicarius
nostræ Terræ possit procedere per inquisitionem, vel denuntiatio-
nem, vel acculationem, & eidem, & cuilibet eorum melius vide-
bitur expedire, & dictum processum sine debito sententiare. Si ve-
ro aliquis scienter & dolote homicidæ, homicidio perpetrato, au-
xilium, consilium, & favorem ad evadendum opere, vel facto,
ne talis homicida in fortiam nostri Comunis peryeniat propter qua-
ne talis homicida au fugit, condemnetur talis auxilium sic præstans in
libr. CC. denar. Si vero non dolo, nec lata culpæ, sed quadam le-
vi culpæ ex improviso homicidium commiserit, tunc habita, & di-
ligenter reperta veritate, condemnetur talis in pecunia arbitrio Domi-
norum Potestatis, vel Vicarii, & Dominorum Priorum, & si eis
videbitur etiam cum deliberatione concilii generalis, consideratis in
prædictis qualitate homicidii, & condictionibus personarum, tam
agentis, quam mortui, & in omnibus aliis circumstantiis dicti
homicidii, de cuius condemnatione hæredes occisi habeant tertiam
partem pro satisfactione eorum injuriæ, & aliae duæ partes sint no-
stri Comunis. Sed si aliquis sine aliqua culpa per casum tantum, qui
prævideri non potuit, vel debuit, homicidium commiserit nullam
pœnam pœnitus patiatur. Qui vero ad sui defensionem à jure per-
missam, vel etiam jure permittente, homicidium commiserit, nul-
lam pœnam pœnitus patiatur. Si vero aliquis fuerit tantæ temerita-
tis, & audacij quod tractus, homicidium commiserit in perso-
nam alicujus nostri Comunis, tunc talis condemnetur hoc modo vi-
delicet, quod nudus popatur, & ligetur super quodam curru in
quo sit fucina cum igne accenso, & ad caudam Asini strasinetur per
Terram Montis Sancti, & cum tenaleis ferreis in dicto igne calefa-
ctis atenaglietur, & caro sua de ejus facie, & aliis partibus ejus per-
sonæ cum dictis tenaleis incidatur, & elevetur, & demum ducatur
ad locum justitiae consuetum, & statim caput à spatulis amputetur
ita, & taliter, quod à corpore separetur, & pœnitus moriatur, &
idem

Idem oblesvetur, si aliquis homicidiū commiserit contra Potestatē Terræ
Montis Sancti, vel Vicarium, vel Cancellarium, vel aliquem
Notarium dicti Potestatis, vel Cancellarium, vel in quemcum-
que alium Officiale forensem honorabilem electum, vel impo-
sterum eligendum; contra forenses tamen intelligendo quod talis
homicidij faciens supradicta pœna pœnitus puniatur. Parici-
dij vero si quis fuerit, vel commiserit, vel committi, seu fie-
ri fecerit, & si factum, & sequutum fuerit paricidium supradi-
ctum, tam faciens, quam fieri mandans ipso sequuto, pœnis le-
galibus puniatur.

De pœna dantis venenum alicui.

C A P. XXXI.

Q uia plus est, hominem veneno extinguere, quam occidere
gladio, ideo statuimus, & præsenti lege firmamus, quod
si quis dolose, & scienter dicta causa prædicta alicui dederit in
potu, cibo, vel alio quoquo modo, causam dictam personam occi-
dendi, item mandans dolose, & scienter prædicta, vel aliquod
prædictorum fieri, & si talis persona prædictum venenum sum-
pserit, moriatur, vel non moriatur, qui talis sic scienter, &
dicta causa emens, vendens, conficiens, portans, vel dans, vel
etiam mandans fieri prædicta, vel aliquod prædictorum, in ca-
pite puniatur ita, & taliter quod ei à spatulis amputetur, &
pœnitus moriatur. Et si dicti tales sic delinquentes, vel aliquis
eorum non possit haberi in fortiam Potestatis, & nostri Comu-
nis, quod omnia bona mobilia, & immobilia dicti talis sic delin-
quentis, qui non potuerit haberi in fortiam Potestatis, vel Co-
munis prædicti, publicentur, & nostro Comuni pœnitus confis-
captur.

De assassinis, & eorum pœna.

C A P. XXXII.

A ssassinorum nempe pessimum genus. Ideo hac lege sanc-
tus, quod si aliquis tantæ crudelitatis, & iniquitatis fue-
rit, quod in nostra Terra, vel territorio nostro pro pecunia, vel
alia

176

L I B E R

alia re habita , vel habenda , vel sibi promissa , vel aliqua persona terrigena , vel forensis spiritu diabolico inspiratus , seu instigatus tanquam assassinus ad alicujus petitionem dolose , proditorie , scienter , & apensate aliquam personam interficerit , vel occiderit , vel si homicidium non fecerit , sed facere attentaverit , vel attentare præsumperit si ad effectum non duxerit tam faciens , quam attentans , quam etiam fieri faciens , in fortia Potestatis , vel nostri Comunis pervenerit , ultimo suppicio condemnetur hoc videlicet modo , quod nudus ponatur , & ligetur super quodam curru , in quo sit fucina cum igne accenso , & ad caudam Afini bene ligatus strasinetur per Terram Montis Sancti , & cum tenaleis ferreis calefactis in dicto igne attenalietur , & caro sua de facie , & aliis partibus suæ personæ incidatur , & elevetur , & demum duccatur extra Terram Montis Sancti ad locum Justitiae , & ibidem furcis laqueo suspendatur , ita quod pœnitus moriatur . Et si haberri non posset in fortiam nostri Comunis , tunc omnia ejus bona mobilia , & immobilia publicentur , & confischentur , & nostro Comuni pœnitus applicentur .

De pœna officialis offendentis specialem personam , & è contra .

C A P. XXXIII.

Quia ab officialibus , quibus plura commissa sunt , plura virtutum , & morum exiguntur , ideo præsenti Statuto firmamus , quod quilibet officialis nostri Comunis , tam Potestas , & Vicarius , & eorum Notarii , & etiam Domini Priors Populi , & Cancellarius Comunis , & ejus Notarius , vel etiam si acciderit , quod aliquis officialis nobilis forensis eligeretur imposterum in Terra Montis Sancti , abstineant ab omni injuria , & contumelia , & nullam injuriam , & contumeliam verbo , vel facto dicant , faciant , vel committant in aliquam , & contra aliquam privatam , & specialem personam scientes quod si aliquod homicidium aliquis ex officialibus supradictis commiserit in quemcumque , pœna capitum punietur . Si vero aliquam injuriam aliam verbo , vel facto commiserint in privatam personam , tunc condemnabuntur in quadruplum ejus pœnae , qua condemnaretur privatus contra privatum . Alii vero officiales minores supradictis maleficia committen-

tes

T E R T I U S.

tes in aliquam personam non officialem , condemnabuntur in duplum pœnae , qua privatus contra privatum condemnandus veniet sive verbo , sive facto , si tales officiales minores prædicta commiserint . Si vero aliquis ex supradictis officialibus omnibus inter se ipsos aliquid maleficium verbo , vel facto commiserit , tunc condemnetur pœna simpla , prout privatim privata persona committens maleficium in privatam , vel specialem personam . Sed si aliqua injuria in persona dictorum officialium omnium , vel alicujus ipsorum per aliquem non officialem facta fuerit verbo , vel facto , tunc talis non officialis officialem aliquem ex supradictis injurians , vel offendens condemnetur in quadruplum ejus , in quo condemnaretur privatus contra privatum . In aliis autem officialibus minoribus quibuscumque , puta famulis officialium prædicatorum , bajulo nostri Comunis , Tubatori , & similibus si aliqua injuria eis , vel alicui eorum facta fuerit per aliquam personam non officialem Comunis , tunc talis , injuriam faciens dicto , vel facto , condemnetur in duplum ejus pœnae , qua de simili maleficio , sive injuria , condemnatur privata persona contra privatam . Et hujusmodi talis pœna supradicta quadruplicata , vel duplicata intelligatur , & sit quantum ad supradictos officiales quoslibet pœna simpla . Nolumus tamen quod dicta pœna possit amplius , vel aliter augmentari , prætestu , & ratione loci , vel temporis , vel alia qualibet qualitate , propter quam maleficium , sive pœna maleficii per formam nostrorum Statutorum veniret dupPLICANDA , vel aliter augmentanda . Sed sufficiat quadruplicatio , vel dupPLICATIO supradicta , vel suprascripta .

De adulteriis , & stupro , & lenocinio , & eorum pœna .

C A P. XXXIV.

Mulerem bonæ famæ nuptam , vel non nuptam volentem , si quis carnaliter cognoverit , in libr. L. denar. per Potestatem , vel ejus Vicarium condemnetur , si prædicta commissa fuerint in Terra Montis Sancti , vel nostro territorio . Si vero nolentem qui carnaliter per vim cognoverit , capite puniatur , ita quod moriatur , & intelligatur de muliere bonæ famæ , de qua non probaretur contrarium . Mulierem vero non bonæ famæ , si quis per vim cognoverit , si publicam meretricem , in solid. xl. denar. condemnetur , si alias

L I B E R

178

Si alias malæ famæ, condemnetur in libr. x. denar. si nupta non est. Sed si nuptam quis cognoverit, & malæ famæ, & volentem, condemnetur in lib. xxv. den. Sed si quis non cognoverit, sed tantum attentaverit mulierem bonæ famæ contra ejus voluntatem capiendo eam per personam, vel in terram prohiciendo, vel pannos altiando, vel ipsam amplectendo, vel osculando, vel his similia faciendo, condemnetur in libr. CC. denar. & qui nuptam non bonæ famæ aliquo dictorum modorum attentaverit, in libr. x. denar. condemnetur. Lenocinium faciens de aliqua muliere bonæ famæ, condemnetur in libr. C. denar. Mulier vero nupta committens adulterium, vel cum aliquo sponte luxurians, vigore præsentis Statuti ipso jure, & facto amittat dotem suam, & bona dotalia ejus, quæ bona, & dos ipso facto, & jure applicentur lucro viri, seu mariti sui. Et nihilominus talis mulier tondatur de capillis suis ad pedem scalarum Palatii Comunis, publice fustigetur per Terram, & nihilominus solvat bannum xxv. libr. denar. in quibus debeat condemnari per Potestatem, vel Vicarium. Stuprum autem cum puer committens, vel cum virginе, vel cum comatre, vel cum consanguinea; vel affinem cognoscens usque in tertium gradum inclusive, aut monialem religiosam, sive volentem, sive nolentem, tunc talis delinquens cum aliquo, vel aliqua supradictorum, capite puniatur, ita quod moriatur, & comater, vel consanguinea, vel affinis, vel conjugem habens, & talia de ejus voluntate committens, & faciens cum consanguineo, vel affine, vel cum compatre, pœna simili puniatur. Puer autem voluntarie stupratus etatis annorum xiv., vel ab inde supra usque in xx. annos inclusive, condemnetur in libr. CC. denar. ab inde capite puniatur.

De pœna ponentis, vel facientis obstaculum contra ambularem, stantem, vel sedentem.

C A P. XXXV.

Contra ambularem in aliquo loco publico, & consueto, aut in loco proprio ipsius ambulantis, vel sibi comuni cum aliquo, quicumque aliquid obstaculum, vel impedimentum fecerit, vel posuerit sine expressa licentia, seu mandato alicujus officialis jurisdictionem habentis, & quo quidem obstaculo talis ambulans impe-

T E R T I U S.

179

impediretur; vel aliqua injuria afficeretur, puniatur, & condemnatur talis delinquens, si talis impeditus ceciderit in terram, vel aliquam læsionem personæ inde habuerit sine ruptura ossis, & sanguinis effusione in x. libr. denar. si cum ruptura, & fractione ossis in L. libr. denar. puniatur. Si vero non ceciderit, nec aliter læsus fuerit in xl. solid. denar. condemnetur. Et si contra aliquem sedentem, vel stantem hujusmodi obstaculum, vel impedimentum factum fuerit fiat punitio, & condemnatio in quolibet casu, & qualibet vice ad similitudinem prædictorum secundum qualitatem casus, & conditionis, cui magis assimilatur, & convenit.

De incendiariis.

C A P. XXXVI.

Ignem immittens, vel ponens in aliqua domo, vel habitatione infra Terram Montis Sancti causa ipsam comburendi, & ipsam in totum, vel in partem combuserit in C. floren. auri condemnatur. Si vero non combuserit pro sola immissione, vel appositione facta dicta occasione in C. libr. denar. puniatur. Extra Terram vero prædictam in ejus tamen territorio, & districtu, prædicta, vel aliquid prædictorum committens in quolibet casu secundum dictam distinctionem puniatur in dimidia dictarum pœnarum. Et prædicta etiam locum habeant in cassina, quæ foret ultra x. pedes longe, & ampla ultra sex pedes ad pedem Comunis, & ab interiori parte cassinæ. Paliare autem alienum fœni, & paleæ, vel minorem cassinam comburens in xxv. libr. denar. condemnetur. Attentans vero tamen, & non comburens in xii. libr. denar. & x. solid. condemnatur. Catasta lignorum, vel cannarum alienarum comburens, vel etiam scopæ in libr. x. denar. condemnetur: attentans tamen, & non perficiens in C. solid. denar. puniatur. Vineam vero, seu vites à x. vitibus supra, vel etiam segetem, vel bladum compositum, seu ammucchiatum comburens in L. libr. denar. condemnetur; non compositum vero, nec ammucchiatum bladum, vel aliam arborem domesticam comburens in x. libr. denar. condemnetur; attentans vero, & non perficiens in C. solid. denar. puniatur. Pergulam de vitibus combutens, vel attentans comburere in utroque casu dicta similitudine puniatur. Animal alienum comburens pro quolibet, &

qua-

qualibet vice in xxv. libr. denar. condemnatur; attentans vero in dimidia dictæ pœnae condemnetur. Pannum alienum lanæ, vel lini, aut mixtim comburens in x. libr. denar. puniatur; attentans tamen in C. solid. denar. condemnetur. Silvam, vel silvestres comburens in x. libr. denar. puniatur, unam enim arborem silvestrem comburens in xl. solid. denar. condemnetur; attentans vero in quolibet dictorum casuum in dimidia puniatur, fractam comburens, vel attentans modis, & pœnis similibus condemnetur. Alias vero res non specificatas comburens, vel attentans juxta prædictam similitudinem puniatur, & in quolibet casuum prædictorum semper condemnetur delinquens ad emendationem damni in eodem processu una cum pœna non obstante, quod esset petita, vel in Judicio deducta. Præterea hujusmodi periculis casibus in quantum possumus obviantes firmamus, quod nemo de cetero in territorio Montis Sancti in aliquo loco alieno, vel proprio audeat, vel præsumat ignem ponere, vel mittere causa comburendi aliquam fractam, Rotam, vel Coronam spinetum, vel buschetum aliquod stupide, vel sodonum, vel aliam similem rem quocumque tempore à Kalendas Junii, usqua ad festum Assumptionis Beate Marie de mense Augusti inclusive, & cum licentia alicujus Judicis, & Rectoris. Contrafaciens in prædictis, vel aliquo prædictorum in xxv. libr. denar. puniatur, & ad emendationem damni condemnetur. Et licentia in contrarium data non valeat ullo modo; aliis vero temporibus ante, & post dictum terminum obtenta primo licentia Potestatis, vel Vicarii nostri Comunis redacta in actis cum loco confinato, & die quo mittere vult ignem, atque testibus, & datis fidejussoribus de solvendo condemnationem, & damnorum emendationem quilibet possit, & valeat in re possessionis propriæ, vel conductæ licite mittere ignem, dum tamen nihilominus ne caveat rem alienam damnificet. Addicimus ad cauthelam, quod semper dum acciderit ignem immitti in aliqua re, vel possessione territorii Montis Sancti statim erecto fumo, vel flamma, quod vicini, & circumstantes ipsius possessionis proximiores eo tempore in ea contrata morantes teneantur, & debeant sine mora ad ipsum ignem currere ad sciendum, & investigandum ignem, qui posuerit, vel immiserit talem ignem, & ipsum exclamare alta voce, & nihilominus Potestati, vel Judici nostro referre, necnon Confalonero, & Prioribus, vel majori partì ipsorum non secrete, sed publice, & dictam personam de prædictis

dictis culpabilem, & suspectam, quæ non possideret immobilia in Monte Sancto, & ejus territorio capere, & personaliter præsentare officialibus pœna contrafacentis pro quolibet dictorum vicinorum, & qualibet vice C. solid. denar. applicanda Comuni, & emendationis talis damni illati parti faciendæ. Potestas vero, seu Vicarius tali quærela, vel relatione audita teneatur statim unum de officialibus, & familiam ad locum talis ignis mittere, & diligenter investigare de persona culpabili, & qualitate rei, & facere reparare talem ignem in quantum potest, ne amplius procedat, & redigere in scriptis nomina vicinorum, atque circumstantium ea die, & qui secus fecerit, vel neglexerit prædicta perdat de suo salario xxv. libr. & Notarius ejus medietate dictæ quantitatis.

*De pœna non obedientis officialis nostri Comunis, &
qualiter officiales mulctare possunt.*

Noster Potestas contra non obedientes suis mandatis pro suo officio exercendo possit imponere pœnam pro quolibet, & quilibet vice usque in C. solid. denar. Judex, seu Vicarius similem pœnam. Quilibet Notarius ipsorum pro quilibet, & qualibet vice in xl. solid. denar. & hoc in extraordinariis casibus, & causis in quibus specialis mulcta, vel pœna per nostra Statuta cauta non esset. Salvis tamen casibus in quibus per formam specialis Statuti, vel ordinamenti foret procedendum in pœnis delictorum, & similibus ad similia. Volumus tamen, quod dicti officiales, vel aliquis eorum dictas pœnas præsentis ordinamenti contra eamdem personam, & eadem die non possit super eodem facto imponere, nisi tribus vicibus tantum. Majores autem pœnas, vel plures imponere non possint, quas pœnas imponere possunt, & debeant, non nisi ex justis, & evidentiibus causis, & casibus. Quæ multa omnes, & singulæ, & etiam minui, seu alleviari possint, prout imponenti visum fuerit.

De questionibus, & tormentis.

C A P. XXXVIII.

Tormenta non posse fieri permittimus, immo in his tantum casibus, & causis concedimus videlicet furto, rapina, falsitate, adulterio, stupro, incestu, sacrilegio, proditione, homicidio, incendio, interfectione animalis, fractura ossis, vel membra, percussione cum sanguinis effusione, seditione, tumultu, rumore nocturno gravius, & suspecta infamacione, & omni alio delicto, maleficio, vel excessu, cuius poena per formam alicujus nostri ordinamenti ascenderet ad quantitatem C. solid. denar. vel ultra. In quibus causis, & casibus tantum, & quolibet ipsorum praecedente legitimo inditio, vel aliqua suspitione, seu conjectura sufficiente per formam alicujus nostri Statuti in suis casibus liceat regimini personam inculpatam torquere, & tormentis subdere cum debito moderamine, ita quod veritas patere possit, & reatus punitio sequi, dum tamen in aliqua tormentatione cujuscumque gravis, & contra quamcumque personam semper requiratur, & habeatur praesentia Dominorum Confalonierii, & Priorum nostri populi saltim duorum ex eis, quibus, vel alteri eorum talis torquendus, vel tormentandus non actineret infra quartum gradum consanguinitatis, quia tunc intersint alii non attinentes. Et aliter nullus officialis tormentare possit exceptis bajulus nostri Comunis nostrae curiae familiaribus officiis, qui essent in officio, & forensibus personis suspectae conditionis, & famæ, & exceptis filiis familias ad petitionem patris familias sanæ mentis, qui exceptuati omnes, & singuli possint torqueri, & tormentis subdi, prout de officialibus etiam aliquali rationabili causa processerit voluntati. Quæ omnia, & singula praesenti ordinamento comprehensa quilibet officialis nostri Comunis teneatur, & debeat observare; & exequutioni mandare. Et si contrafecerit, vel prætermiserit pro quolibet, & qualibet vice perdat de suo salario quinquaginta libr. denar. & quod secus fuerit, vel fieret cum omni sequela sit nullum, & nullius valoris.

Quod

Quod nullus debeat intrare, vel stare in Palatio, quando aliquis torquetur sine licentia Potestatis, & Priorum.

C A P. XXXIX.

Quam inconveniens est, & dissonum rationi, quod aliqua persona privata sciat, & scire desiderat secreta maleficiorum, & curiæ ad ipsam non spectantia. Ideo statuimus, & ordinamus, quod quandcumque contigerit, quod Potestas, vel Vicarius in Palatio nostri Comunis pro eorum officio exercendo torqueret aliquam personam, sive in sala superiori dicti Palatii, sive in aliqua alia parte ejusdem; nullus de Terra Montis Sancti, vel aliunde cujuscumque conditionis existat, audeat, vel quoquo modo presumat intrare, vel stare in dicto Palatio contra voluntatem dictorum Dominorum Potestatis, vel Vicarii, vel absque earum, vel alicujus dictorum licentia, vel mandato: qui vero contra predicta, vel aliquod predictorum fecerit dolose, & scienter, condemnetur per dictum Potestatem, vel Vicarium in L. libr. denar. & in majori, vel minori quantitate ad arbitrium Dominorum Potestatis, Vicarii, & Priorum, consideratis in predictis qualitate facti, & conditionibus personarum, tam delinquentis, quam ejus, qui ponitur ad torturam. Addicentes huic Statuto, quod si tempore, quo aliqua quæstio de aliqua habetur, & porta Palatii Comunis esset clausa, & aliquis tantæ audaciæ esset, quod portam per vim aperiret, vel clausa frangeret, talis sic delinquens puniatur in ere, vel persona ad arbitrium Domini Potestatis, vel Vicarii, & Dominorum Priorum, considerata in predictis conditionibus personarum delinquentium conditione, & qualitate facti.

De non cogendo, vel detinendo aliquem personaliter.

C A P. XL.

Personam bonæ conditionis, & famæ, contra quam ex quacumque causa procederetur, nullus nostrorum officialium cogere possit personaliter, vel detinere coactum in Palatio, vel alibi, vel etiam in carcerebus ponere, vel retinere, si talis persona cogenda,

Q 2

vel

vel carceranda fuerit parata , & cum effectu obtulerit dare idoneam ; bonam , & cautam fidejussionem , & eam dederit de stando juri , & solvendo judicatum , sive judicandum , sive criminaliter , sive ci- viliter ageretur , sive mixtim , immo tali fidejussione præstata , vel dicto modo oblata talis persona illico dimittatur , & relaxetur , con- trafaciens officialis pro quolibet , & qualibet vice perdat de suo sa- lario x. libr. denar. & hoc locum habeat , nec intelligatur in testi- bus per testimonio ferendo secundum formam nostri ordinamenti detinentur . Nec etiam intelligatur in debitoribus Comunis , vel ali- cujus specialis personæ , qui possint detineri etiam si valent fideju- forem præstare usque ad debitam satisfactionem sine aliqua poena of- ficialibus imponenda . Volumus quod nostris officialibus liceat . & possint coactos detinere delinquentes , ubi ex debito veniret aliqua pe- na corpora imponenda aliter principaliter , vel in defectu solutio- nis , secundum formam sequentis Statuti .

*Quomodo Committens maleficium pœnam corporalem in
defectu principaliter beat relaxari.*

C A P. XLI.

Providemus , quod quandocumque acciderit aliquis terrigena , vel foensis in Terra nostra , vel nostro territorio committerit ali- quod maleficium , pro quo maleficio veniret imponenda aliqua pœ- na corporalis in defectu solutionis pœnae pecuniariæ , & ille talis , qui maleficium commiserit , vel committi mandaverit , vel ad di- cendum maleficium perpetrandum dederit , vel præstiterit committen- di auxilium , consilium , vel favorem cooperanrum sit in fortia nostræ Potestatis , vel curiæ , qui nullatenus fidejussionibus relaxetur , sed potius in carceribus sub fida custodia teneatur , donec solverit Camerario nostri Comunis pro ipso Comuni condemnationem , in qua occasione dicti maleficii per eum commissi fuerit condemnatus , vel nisi dictam condemnationem non solverit infra terminum in sen- tentia statuendum , de eo fiat exequitio corporalis , quæ in præfata sententia fuerit apposita . Salvo , & excepto , quod si talis reus tem- pore suæ excusationis , vel postea quandocumque vellet solvere con- demnationem siendam pro dicto maleficio , vel depositum facere pœnes Camerarium nostri Comunis , vel pœnes aliam idoneam per- sonam

T E R T I U S :

185

sonam de Terra nostra nomine dicti Comunis illius quantitatis pecu- niæ , in qua veniret pro dicto maleficio condemnandus , quod Po- testas , vel Vicarius facta dicta solutione , vel facto dicto deposito dictum delinquentem debeat relaxare aliqua lege , vel constitutione , vel Statuto in contrarium loquentibus , non obstantibus quibuscum- que .

*De augmentando , & non vilipendendo libertatem ,
ac etiam jurisdictiones Montis Sancti , nec
etiam declinantes ab eis.*

C A P. XLII.

Ad compescendam pravorum audaciam volentium tamquam effrenesducere vitam suam , & nolentium bonorum homi- num sequi vestigia , sed potius à virtutibus deviantium , & decli- nare conantium à juribus punientibus delinquentes , & enormia delinquentes ; Volumus , & præsenti Statuto firmamus , quod nullus de Terra Montis Sancti , vel habitator ejusdem cujuscumque condi- tionis existat , audeat , vel præsumat aliquo colore quæsito dicere , facere , ordinare , vel tractare aliquod , quod esse possit , vel sit contra jurisdictiones , vel libertates concessas nostro Comuni per Pa- palia Privilegia , vel alio quovis modo ; Ne etiam audeat , vel præ- sumat rumpere , vel infringere per se , vel per alium aliqua privi- legia dudum nostro Comuni concessa , tam per Sanctissimæ Memo- riæ Dominum D. Gregorium Divina Providentia Papam XI. , quam etiam per alios ejusdem antecessores , vel per alios Cardinales , vel Legatos Sanctæ Matris Ecclesiæ , vel per aliquos Rectores Provinciæ Marchiæ Anconitanæ , vel similiter etiam per Archiepiscopos , Epis- copos , Abbates , vel quemcumque alium Prælatum , vel etiam per alias personas hujusmodi jurisdictionem habentes , nec contra prædi- cta privilegia venire , vel aliquod dicere , quod sit , vel esse pos- sit in diminutionem . vel detrimentum eorumdem , vel alicujus eorum , & in præjudicium nostri Comunis , vel jurisdictionum , vel libertatum nostro Comuni concessarum . Nec etiam dicere , quod Comune Montis Sancti non habeat Privilegium , nec etiam quod Privilegia , & jurisdictiones , & libertates , quæ , & quas habet , non valeant , vel similia , vel equipollentia verba , de quorum similitu- dine stetur libere arbitrio Domini Potestatis , vel Vicarii , & Prio- rum